

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0867

0865

0871

0861

0876

0856

0916

0816


0966

0766

0366

Ende

Anfang



291

Eodem anno illustrissimus imperator Romanorum, Fridericus primus, crucem cum suis principibus et nobilibus de Alemannia assumpsit, et rex Francorum Philippus et Henricus rex Anglorum et caeteri reges omnes, archiepiscopi et episcopi et praelati ecclesiae Dei cum infinitis populis cruce signati sunt. Et erat illa commotio adeo universalis, ut totus mundus in hoc propositum coisire videretur. Fit ergo mirabilis congregatio equitum et peditum et per terram et maria impetu ferventissimo vehuntur contra infideles. Eo autem tempore erat in Calabria abbas Joachim, maximae doctrinae et excellentis ingenii vir: hunc accersitum reges et principes in terrae sanctae expeditione existentes interrogabant de effectu illius profectionis. Quibus ille dixit, quod mare quidem transirent, sed in recuperatione terrae sanctae parum proficerent, et nondum adesse tempus, quo Jerusalem a Christianis possideri posset. Et sicut insignis vir ille dixit, ita accidit. Ingressi enim Syriam, nihil ceperunt nisi Ptolemaidem, quae Acon dicitur, toto biennio. Capta est autem Acon anno Domini 1194. non ruptione murorum, sed sub his conditionibus, ut salvis personis Sarraceni exirent, et lignum crucis, quod in bello ceperat Saladinus, sicut supra folio 280. patet, Christianis restituere promitteret et ducenta millia ducatorum solverent. Sed quia pacta regibus promissa de sancta cruce restituenda et de captivis Christianis reddendis non observavit Saladinus, rex Richardus una die quinque millia decollari mandavit.

His diebus decesserunt duae filiae regis Guidonis, quas ex Sibylla, primogenita Almarici regis susceperat, et post modicum mater ista, domina Sibylla, etiam decessit (B) ex hac vita, nec superfuit aliquis de vera stirpe regia regum Jerusalem, nisi domina Elizabeth, uxor Eufredi de Coronio. Habuit enim Almaricus sextus rex Jerusalem unum filium Balduinum, ab infantia leprosum, et duas filias, Sibyllam et Elizabetham. Mortuo autem Almarico regnavit leprosus, qui quia generare non potuit, haerede ex se caruit et fecit Sibyllam seniore sororem suam haeredem regni, cujus maritus, secundus Guido pro ea regnavit, Elizabeth autem ejus soror domino Eufredo nupsit. Post perditam autem terram sanctam